

*Doc. 18 (Scriptum est eidem
etc. [iustitiario Basilicate].
Benigne recepimus licteras tuas...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 18 (Scriptum est eidem
etc. [iustitiario Basilicate].
Benigne recepimus licteras tuas...)*

1279-04-30

Scriptum est eidem etc. (iustitiario Basilicate).

Benigne recepimus licteras tuas quas nostre celsitudini destinasti, et ipsarum intellecto tenore quia significasti per eas quod inter alia, que continebantur in quodam mandato nostro tibi directo de reparandis domibus palatii nostri Lacuspensilis, mandabatur tibi ut molendinum et furnum, que ibidem per te fieri iniunximus, si nondum facta fuissent et completa fieri et compleri faceres celeriter et instanter, iuxta ipsarum nostrarum continentiam licterarum tibi exinde directarum, ita quod in certo termino in eisdem licteris nostris contento infallibiliter essent completa, et tu asserens recepisse per nostras licteras in mandatis de faciendo fieri uno fumo tantum in massaria Carite, et non de faciendo seu construendo aliquo molendino, postea rescribi tibi per nos utrum ad alicuius molendinorum reparationem que in Lacupensili et pertinentiis eius sunt, utrum ad constructionem alicuius molendini de novo faciendo procederes, tibi duximus taliter respondendum, quod placet nobis et volumus, quod si in molendinis que sunt in Lacupensili et pertinentiis eius machinari poterant die quolibet frumenti salme sex, et aliqua reparatione indigent, ipsa incontinenti de quacumque pecunia curie officii tui que undecumque est vel erit per manus tuas, et in ipsius defectu de pecunia presentis generalis subventionis iurisdictionis tue, facias reparatione necessaria reparare. Si vero molendina ipsa que reparari feceris non sufficerent ad molendum predictam quantitatem sex salmarum frumenti fieri facias de novo de eadem pecunia in predicta massaria carite unum vel duo molendina si expedierit, ita quod, tam in ipsis que reparare, quam in aliis que de novo fieri

feceris, predicte salme frumenti sex possint die quolibet machinari, facta tam de molendinis que reparaveris quam de aliis que de novo fieri feceris, si de novo aliqua molendina fieri feceris, legali et fideli extimationem de omnibus, que molendina que raparaveris et molendina que de novo fieri feceris indiguerint, per probos et fideles viros expertos in talibus, ita quod curia nostra in aliquo non fraudetur, de qua extimatione fieri facias duo publica instrumenta, quorum unum tibi retineas, et aliud magistris rationalibus etc. cautus quod extimatio ipsa legaliter et fideliter fiat, quod si legalis et fidelis non fuerit reprobabitur, et totum id in quo ipsam puram et meram veritatem excesserit de tuo et illorum proprio, qui eam fecerint, exigi faciemus, iuxta statutum in his per curiam nostram factum, taliter super constructione furni et reparandis molendinis et de novo faciendis, si de novo fieri oportuerit, procedas quod in adventu nostro, qui erit in proximo, duce deo ad partes predictas ipsa inveniamus reparata et totaliter percompleta.

Datum Neapoli die ultimo aprilis etc. (VII indictionis) 1279.